Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Hedwigis Dvcissa. 15. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

virgo vixit DOMINICUS, & ut tales vos vivatis, Sodales Parthenij, teſtamento arma vobis ſua legavit. *Ex Lippeloo.*

Optimè pænitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis amiſerat, afflictionibus recompenſat, & ſalubrem ibi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxiâ delectatione peccavit. S. P. Dam. l. 5. epiſt. 8.

S. HEDWIGIS DUCISSA. 15. Octobris.

IN regium te gynæceum introducimus, tamen terreare, ſi ad limina pauperes excubent: HEDWIGIS intus habitat, quæ ex illuſtri Andecenſium Comitum & Tyrolenſium ſtirpe Henrico Polonorum Duci nupta, primos annos liberis procreandis, reliquum deinde vitæ tempus, non invito conjuge, caſtitati dedit, maluitque à pauperum jam turbâ, quàm Regum mater dici. Ex illis tredecim quotdiebus menſæ adhibuit, flexo poplite in iis Chriſtum ac duodenos Apoſtolos adorans. Ajunt multos ex iis, impoſitâ capiti VIRGINIS MAGNÆ icunculâ, valetudini reſtitutos ab HEDWIGE. Certè inventam VIRGINIS effigiem multis ab obitu annis inter digitos tres primores eoſque integros aſſeverant, magno ſive HEDWIGIS in VIRGINEM, ſive VIRGINIS in HEDWIGEM voluntatis teſtimonio. Porrò tam dura ſibi, quàm benigna aliis, pedes ferè nudos etiam hyberno tempore circumferebat, indormiebat aſſeribus, corpuſculum & ipſa verberabat, &, quod pauci volunt, verberari ab aliis volebat. Sacerdotibus, quotquot denique faciebant, quotidiè omnibus aſſiſtebat, nullas alias voluptates umquam ſectata, quàm quæ preces inter animum demulcebant qua-

quarum quidem ingens argumentum fuêre nunc prodigioſus in vultu ſplendor, nunc cum animo ſuo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit, cùm ſic precanti è cruce benè ultro Chriſtus precaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Horum ſcilicet compendium cælum erat, quod ingreſſa eſt HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc Principem crederes. *Ex Surio.*

Qui ad cæleſtes nuptias firmæ ſpei gradibus feſtinas, non parvam partem ſubſtantiæ in tuto loco repone: marſupium autem ſinus eſt pauperum, ſuſtentatio miſerorum. Hoc eſt fidele depoſitarium ſine ullo prorſus detrimento, quod ſuſceperat redditurum. S. Pet. Dam. l. 8. epiſt. 14.

S. GALLVS ABB. *16. Octobris.*

GALLVS ad Laci Brigantini incolas Columbano duce venit, quem in literis & pietate magiſtrum habuit. Hîc permultis auctor fuit, damnatâ ſuperſtitione, ad Chriſti partes transeundi: ipſe antra ſilvaſque à colubris & lemuribus purgatas melior hoſpes cœpit incolere, commeatum ſæpiùs cælo ſuppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cùm urſus adfuit pauperis cœnæ reliquias populaturus. Sed jubet GALLVS lignum potiùs fur comportet, eoque focum foveat. Facit ille imperata, & in laboris ſtipendium panem capit. Tum Divus cum eodem ita paciſcitur, communem uterque montem haberent, cæterùm nemini deinceps mortalium urſus noceret. Has inter eum leges homo tulit, & ſacroſanctas fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omnique vi pelle GALLVM eſt aggreſſus. Sed facilè hic iterum